



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVII. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Luchina Sencinas è teneris Mariæ aman-
tissima, ejus dolores frequenter reolebat,
in quorum memoriam sub totius rosarii cum
dolorosis mysteriis recitatione se nocte acriter
flagellavit, è concione audita ad vitæ sanctita-
tem conversa, *Mayr.* Plures vocaret DEUS, si
plures vocantem audirent.

B. Luchina ora pro me Deiparam, ut aures
meæ semper inspirationibus DEI & ejus man-
datis sint apertæ, ut post mortem ejusdem ad
præmia æterna per misericordiam suam vo-
cantis vocem: *Venite benedicti Patris mei &c.*
audire merear. O Sanctissima Dei, & mea, Mater
pretiosissima lego N. indignissimus filius tuus
ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm
animæ viribus centies millies, imò infinities te
saluto: te omni possibili omnium possibilium
& actualium creaturarum affectu amare, tibi
usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum
possibile erit, placere & servire desidero. Hoc
unum per pretiosissimum JESU Filii tui &c.
fol. 190.

Ad quod impetrandum: Coronam hodie
Marianam cum mysteriis dolorosis orabo.

Hoc Mariæ Privilegium est, quòd quidquid
post DEUM pulchrius, quidquid dulcius,
quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria,
hoc in Maria, hoc per Mariam est. *S. Bonav. in
Spec. c. 6.*

Quæstio: Quis è doloribus Mariæ fuerit
gravissimus? XVIII.